



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

3. Vetervm Brvcterorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

3. VETERVM BRVCTERORVM. Et sedes & nomen sæpe vetus hic clarusque populus mutavit. à Veljejo, Tacito, Suetonio, Apollinari, Claudiano, *Brueteri*, à Ptolomæo *Βροάκτεροι*, Strabone *Βρόκτεροι*, vitiose ab utroque & contra etymon nominis. in tabula itineraria *Buruēturi*. in panegyrico Nazarij *Bruteri*. apud Sulpitium Alexandrinum *Briēturi*. à Beda in histor. Anglorum, Marcellino in vita S. Suiberti *Boruētuarij*. à Gregorio 2. Papa *Borthari* appellantur. Postquam vero *pulsis Brueteris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbia odio, seu præda dulcedine, in fines eorum antiquos Chamavi & Angrivarij immigrarunt.* Tacit. de morib. Germ. superstites ultra *Luppiæ & Amisæ* fontes ac saltum *Teutoburgium* domicilia ad *Visurgim*, silvam *Hercyniam & Rhenum*, inter *Coloniam Agrippinam & Hassos*, quæsiuere. Claud. de 4. conf. Honorij.

*Venit accola silva*

*Brueterus Hercynia.*

4. BRVCTERVS HÆC COLVIT LOCA.

Si, ut Tacitus habet, inter *Amisiam & Luppiam* haud procul *Teutoburgiensi saltu ultimi Brueterorum* fuerint, manifestum est, tractum eos *Delbruggium* tum tenuisse.

5. QVOD NVNC INDIGENIS NOMEN VT ANTE MANET. Mollerus in descript. Rheni. lib. 5.

*Quin & Dalbrugis vestigia nominis insunt.*

Sive enim *Brueteri* nomen à paludibus, quos *Broucken* vocitamus, ut sint *Brouckers* quasi paludum accolæ, sive à pontibus, qui *Brucken* appellantur est deductum, *Delbruggia* utrumque convenit, quæ & paludosa est, & propterea pontibus aggeribusque abundat. vide orig. Franc. Isacij Pontani. l. i. c. 9.

6. HIC VARVM INFESTO. Hæc potissima causa fuit expeditionis adversus Germanios, qua *ultimi Bru-*